

Disseminationes hoc volumine contentae.

1. Geminae quaestiones in iure publico et in re libera tractatae quas praesit Petro Leopoldo. S. V. D. examinandas proposuit Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quas praesit Heinrico Bocero Sr. pro Doctoratibus in utroque iure in iuris publicis disputationibus subiecit Georgio Wolfgang Hilbornmann, Neuwirg-Palatinus Tübingae.
3. Propositiones Juris publici quas publice discutendas proposuit Christophorus Treibisig S. V. D. Resp. Conrado Casp. Bovio, Wittenberg. Lipsiae.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam praesit Christophoro Bealdo Sr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger Tübingae.
5. Diss. de iure Naturae praesit Johanne Gypsiandro S. V. D. defensa à Georgio von Broy, Ackenburg. Tübingae Sr. Jenae.
6. Diss. de necessitate defensionis praesit Heinrico Bocero Sr. proposita à Daniele Rantow. Tübingae.
7. Conclusiones de Jurisdictione quas eodem praesit Dominico Jürgens in iure insignium sequendum causa publicis censuras subiecit Johannes Georgius Halbitter. ibid.
8. Assertionem legales de transactione quas praesit Petro Theodoro S. V. D. pro gradu Doctoratus in utroque iure sequendo discutendas proposuit M. Georgius dist. Lips. Jenae.
9. Diss. de transactionibus praesit Johanne Harprecht Sr. pro summo in utroque iure gradu sequendo publicis examini submissa à Georgio Langen. ibid. Tübingae.

Disputatio

De

LEGE AQUILIA

QUAM

PRÆSIDE

IOHANNNE IACOBO  
PLEBST

*Juriscons. & Antecessore,*

Habebunt publicè

DANIEL ET LAURENTIUS

*A VVENSIN FRATR. HOLSATI.*

Ad 27. & 28. Maij,

*in Illustri Collegio Tubingensi.*


---

ANNO MD. CXXIV.



TUBINGÆ,

Excudebat Ioannes Alexander  
Cellius.





ILLUSTRI ET GENEROSO

DOMINO,

DN. LAVRENTIO

A WENSIN LIBERO BARONI  
IN Kronwincel/ &c. SERENISS. DUCIS AC  
Principis Bavariae Consiliario intimo, Camerario, supre-  
moque venationum ac militum Magistro, Comita-  
tus & Dominatus Vopurgensis & Werden-  
feldensis Praefecto Domino patruo  
nostro suscipiendo.

S.



T hanc disputationem nostram  
tibi inscriberemus, Illustris &  
Generose Domine patruae, cau-  
sas equidem non unas habui-  
mus: sat graves, & promptu faciles; si tu re-  
quires, vel nos necessum esse existimare-  
mus. Quanquam lubenter fatemur, haec  
talia esse, ut conatus ingenii inde tibi com-  
mendare, vix operae esse videatur: Interim  
tamen tibi non ingrata ea fore judicavimus.

A 2

Eius

Eius enim es iudicii, ut facile illa intelligas, &  
quia intelligis etiam ames. Dabimus ope-  
ram ut aliquando animo nostro satisfacere  
queamus, & alia mittamus quæ magnitudi-  
ni ingenii tui, & nostro in te studio & obser-  
vantia magis respondeant. Interim si nos  
in ære tuo esse patieris, erit hoc summa voti  
nostri. Vale & nos amare pergit. Script. IX.  
Kal. Apr. Anno cld. Id. cxiv.

*Illustr. Gen. Tuæ*

*Addict. & observ.*

*Nepotes ex fratre*

*Daniel & Laurentius  
à Wensin. fr.*

DA.



DANIEL A VVENSIN.

*Thesis I.*



Voniam inter damna potissimum ea soleant increbescere, quæ ex petulantia, temeritate, imperitia, aliisque culpa oriuntur, de horum natura aliquid exercitii gratia tractare constituimus.

*II.*

Estque eorum Nemesis seu vindex actio L. Aquiliæ (quæ & simpliciter Aquiliæ dicitur) quæ plebiscitum antiquissimum, cum eam Aquilius Tribunus plebis à plebe rogaverit. Quemadmodum lex Falcidia dicitur *l. i. ff. h. t. Dion. in Aug. Duar. ad l. Fal. c. i. in pr.*

*III.*

Vicem legis habet & ideo est perpetua *Sichard. ad pr. n. 2. C. ad l. aquil.*

*IV.*

Per eam solam temeritas & imprudenter facta plectuntur, & proinde mirum non est etiam levissimam culpam in hac L. considerari, quamvis propositum lædendi non adfuerit *l. i. ff. d. ll. l. 44. h. t. l. 5. §. 1. hic. Goëden Conf. 203. n. 34.*

*V.*

Ejus l. olim tria fuerunt capita, quorum secundum in usu non est. *§. 12. Instit. h. t. l. 27. in §. 4. Eod.*

## Disputatio

## VI.

Primo capite cavetur: ut qui servū, servamve, alienum alienamve, quadrupedem vel pecudem injuria occiderit: quanti in eo anno id plurimum fuerit, tantum es dare domino damnas esto. l. 2. in pr. hic & Inst. in pr. Eod.

## VII.

Quod autem non præcisè de quadrupede, sed de ea tantum, quæ pecudum numero est cavetur, eo pertinet, ut neque de feris bestiis, neque de canibus cautum intelligamus, sed de iis tantum, qui gregatim pasci dicuntur. §. 1. Inst. h. t. l. 2. §. 2. ff. Eod.

## VIII.

Injuriam hic damnum accipimus culpa vel imperitia datum, etiam ab eo, qui nocere noluit. §. 2. Inst h. t. l. 5. §. 1. in. f. ff. Eod.

## IX.

Et ideo homines tantum intellectum habentes sine distinctione sexus, status, vel conditionis damnum injuria dant, adeò ut prodigus, surdus, mutus, imo & iratus & ebrius, non tamen infans & infantia proximus damnum injuria dare intelligantur. d. l. 5. §. 2. h. t. l. 11. 16. ff. de pænis.

## X.

Potest autem damnum inferri quatuor modis. Aut enim inferitur 1. de corpore in corpus: 2. vel de corpore in non corpus: 3. vel de non corpore in corpus 4. vel de non corpore in non corpus. Sichard. in prin. n. 12. C. adl. Aquil.

## XI.

De corpore in corpus inferitur damnum, quando ego meo corpore tuo corpori noceo. Et hoc casu datur directa actio l. Aquiliae, quia verba & sententia legis hoc volunt. §. ult. Inst. h. t. & passim t. t. ff. Eod.

A cor-



XII.

A corpore in non corpus. Ut si tibi pecuniam excutiam è manibus, quæ cadat in mare vel flumen, *l. 27. §. 21. ff. h. t.*

XIII.

Sic à non corpore datur damnum in corpus, sc. quando seruo tuo persuadeo, ut descendat in puteum, & inde præceps feratur & moriatur; vel cum objecero subito bobus vel ovibus colorem rubrum, ut fugiant & præcipitent se in flumen *d. §. ult. Inst. h. t.*

XIV.

De non corpore in non corpus ut cum solvo ligatum ut fugiat, *d. §. ult.* His tribus modis ultimis competit Actio l. Aquil. non directa, sed utilis & in factum.

XV.

Et promiscuè dicuntur sæpius Utilis & in factum actio *l. 11. §. 8. l. 12. & seqq. l. 53. ff. h. t. Giph. ad §. ult. Inst. h. t.* quamvis revera distinguantur.

XVI.

Occisum autem accipere debemus sive gladio, sive fuste vel alio telo, vel manibus, si forte strāgulavit eum, vel calce petiit, vel capite, vel qualiter qualiter *l. 7. §. 1. h. t. n.*

XVII.

Sed qui vim vi repulit, non dicitur damnum injuria intulisse, ne hac actione tenetur, *l. 4. 45. h. t. l. 1. C. unde vi. l. 2. 3. C. ad l. Corn. de sicariis Gomez. 3. ref. 3. num. 20.*

XVIII.

Quod adeò verum putamus, ut ne quidem Feudo vasallus privari possit propter vim quam sui defendendi causa contra Dominum adhibuit. *Zaf. p. 10, n. 102, Rasenth. c. 10, n. 22.*

*Sem-*

## XIX.

Semper tamen requirimus moderamen inculpatæ tutelæ, ut defensio fiat in continenti, sive fiat occidendo sive tantum lædendo *argumento d. l. 45. §. 4. l. 52. §. 1. h. t. Cujac. 5. Obs. 18, argumento l. 1. C. unde vi.*

## XX.

Nec ad fugiendum eum, cui vis infertur, propter periculum lapsus, teneri verissimum est, nulla habita ratione personarum. *Vvesenb. Cons. 19. n. 17.*

## XXI.

Quamvis actio l. Aquiliæ non cesset, etiamsi is, cui damnum datum erat, dantem damnum provocasset, & rixæ fecisset initium. *Pruck. d. Cons. 22. n. 108.*

## XXII.

Si autem aliquis confessus sit se hominem occidisse, sed id ad sui defensionem, atque de defensione non possit apparere, puta si in loco solitario factum sit, quid statuetur? Circumstantiarum & personarum rationem habendam dicimus cum Fachin. i. *Cont. 27.*

## XXIII.

Quid si conjecturæ cessent, nec ullum argumentum appareat necessariæ defensionis? Supplicio afficiendum putamus. *P. H. S. art. 143.*

## XXIV.

Si plures servum meum vulneraverint, ac ignoretur, quis vulnus lethale inflixerit, ecquid omnes tenentur de occiso? *Aff. per l. 11. §. 2. ff. ad l. Aquil.*

## XXV.

Si vero alius mortiferè alium vulneraverit, alius mortem acceleraverit, prior non tenetur nisi de vulnerato, posterior de occiso *l. 11. §. 3. h. t.*

An

*de Lege Aquilia.*

5

XXVI.

An libero homine occiso heredes ejus utiliter ex l. Aquil. agere possint? *Aff. cum Azone, VVesenb. in parat. ad l. Aquil. n. 7.*

XXVII.

Etiam is qui casu magis quam culpâ damnum dedit, excusandus est, veluti si miles in campo, ubi solitum est exercitari, servum tuū trajecerit, vel putator servum tuum transeuntem, ex arbore dejecto ramo, interfecerit. *l. 6. 9. C. d. pign. act. l. 27. §. 2. de pign. §. 3. 4. 5. Inst. h. t.*

XXVIII.

Neque is hacl. tenetur, si quis colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles dum inter se exercent alius alium occiderit, quia gloriæ & virtutis causa non injuriæ gratia videtur damnum datum *l. 3. §. 4. h. t.*

XXIX.

Utrum etiam hoc de modernis pugilibus intelligendum, qui potius lucri quam gloriæ causa damnum dant. Neg. simpliciter per *d. §. & argument. l. 2. §. f. ff. De his qui notant. infamia.*

XXX.

Imperitia quoque culpæ annnumeratur. Veluti si medicus ideo servum tuum occiderit, quia malè eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit. *§. 7. Inst. h. t.*

XXXI.

Quod etiam ad advocatos, & quodvis artificium proficientes, Doctores rectè extendunt propter generalitatem *l. 132. de R. l. adde l. 28. & 29. hic. Hotoman. in d. §. 7.*

XXXII.

Si enim judex tenetur ex q. delicto, qui per imperitiam

B

tiam

tiam male iudicavit, quid ni etiam advocatus & alii artifices? *pr. Inst. de Oblig. ex q. delicto. nasc. l. 5. §. si. iudex ff. de Obligat. & actionib.*

## XXXIII.

His verbis L. Aq. Quanti in eo anno plurimi fuerit, illa sententia exprimitur: ut si quis hominem qui hodie claudus erit, occiderit, qui in eo animo integer aut pretiosus fuerit, non tanti teneatur, quanti hodie erit, sed quanti in eo anno plurimi fuerit. *§. his autem verbis Inst. h. t.*

## XXXIV.

Quod cum ita sit, sequitur ut hac lege nulla poena constituta sit, si quo tempore animal plurimi est, interficiatur: sed tum demum cum depretiatum est. Mirabilem igitur hujus legis rationem esse, inquit *Hotoman. in d. §. nemo non videt l. 21. l. 23. Idem Julianus §1. ad L. Aquil.*

## XXXV.

Forfan id ita constitutum, quo magis tuti essent quadrupedes atque servi viliores, quos aliàs pretii vilitas aliorum injuriæ exponit. *Hot. d. l.*

## XXXVI.

Utrum hæc æstimatio, Quanti plurimi, presentē corporis occisi æstimationem in infinitum se usque extendat, an verò taxationi legis. *uni. C. de sentent. qua pro eo quod inter est profer;* subsit. Resp. taxationi d. l. unicæ, non subesse sed totam præstandam esse.

## XXXVII.

Annum in h. l. intelligimus continuum non utilem. *l. §1. §. 2. h. t.*

Lau-



## Laurentius à V Venfin.

### XXXVIII.

**S**ecundum *l. Aquil.* caput jam olim in desuetudinem abiit, putat *Cujac. in par. C. h. t.* fuisse te intercepta nobis utilitate. *Freherus 22. par. 3.* credit fuisse de eo damno, quod à quadruple datur. *Chiflet.* conjecturam facit egisse de servo corrupto.

### XXXIX.

Sed cum res non adeò magni sit momenti nec quicquam certi de eo ullibi appareat, suum unicuique liberum hac in parte relinquamus iudicium.

### XL.

Tertio cap. ait *l. Aquil. Caterarum rerum præter hominem & pecudem occisos si quis alteri damnū faxit, quod ufferit, fregerit, ruperit, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum es domino dare damnas esto. l. 27. §. 5. h. t. §. 13. Inst. Eod.*

### XLI.

Quemadmodum in priore, ita & in posteriore capite dolus & culpa veniunt: differentia in damni æstimatione consistit. Illud generatim potest definiri, in toto hoc tractatu æstimationem redigendam esse ad commune iudicium, non ad affectionem singularem *l. 33. in pr. l. 21. §. f. & l. seq. hic. adde l. 63. in fin. ff. ad l. Falc.*

Et in æstimationem venire omnes expensas ratione læsionis contingentes, etiam operarum cessantium & impeditarum, tam futurarum quam præsentium concludimus cum *Vvesenb. in par. n. 7. h. t. argum. l. 3. si quadrup. pauper. l. 1. & l. f. de his qui effud. vel dejecerint l. 7. §. 4. hic.*

In æstimando autem damno, in primis spectandum est vitæ genus hominis læsi, puta ejus opera & opificium, quod exercet, cujus item sit ætatis. Unde aliquando (*referente Geil. lib. 2. de pace publ. c. 2. n. 19.*) militi nobili utroque oculo ex vulnere insidiosè orbatò, in Camera Imperiali multa millia pro militaribus officiis, quibus postea cariturus erat, per sententiam adjudicata sunt.

Ut autem de damno corpori liberi hominis dato præfenti & futuro certe constare possit, Medicos & peritos Chirurgos adhibendos esse, qui damnum inspiciant, suadet *Pruckman. dict. cons.*

Cicatricum verò & deformitatis nullam rationem habendam communiter putant *Dd. per l. ult. vers. cicatricum ff. de his qui dejec. vel effuderint l. 3. vers. sc. ut non deformitatis. ff. si Quadrupes pauperiem fecisse dic.*

Verum rectè & eleganter illos refutat *Farinac. in Prax. criminali lib. 1. t. 3. q. 18. n. 97. & seqq.* dextrè interpretando & declarando dictas ll. & quis dubitaret quin vulneris magnitudo atrocitatem faciat & locus vulneris? *l. 8. ff. de injuriis.*

Ecquid ob stuprum virgini illatum *ex h. cap. l. Aquil.* locum sibi vindicet actio. Negamus *arg. l. 14. §. 1. & 2. ff. de adilit. edict.*

*de Lege Aquilia.*

9

*XLVIII.*

De eo dubium non est, qui immaturam suppresserit, quin conveniri ex h. c. possit. *l. 25. de Injuriis l. 38. §. 3. ff. de pœnis.*

*XLIX.*

In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus quæ anima carent, damnum per injuriam datum hac parte vindicatur. Si quid enim ustū, aut ruptum, aut fractum fuerit, actio ex hoc capite constituitur, quam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Unde non solum fracta, aut uisa, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta atque deteriora facta hoc verbo continentur. *§. 17. h. t. l. 27. §. 13. & seqq. D. h. t. Festus in verb. Ruptitias.*

*L.*

Ideoque responsum est si quis alienum vinum aut oleum id miscuerit quo naturalis bonitas vini aut olei corrumperetur ex h. parte. *Aquil. eum teneri. §. 13. h. t.*

*LI.*

Quid ergo quis dixerit, si quis alienum vinum ebiberit, aut frumentum comederit, rupissenè dicetur? Hic certè nō tam rupit, quam in verum usum convertit, ideoque non directa hac actione, sed utili tantum tenebitur. *l. 39. §. si quis alienum ff. h. tit. Azo in sum. C. Eodem. num. 36.*

*LIII.*

Si navis fune rupto aut cum à nullo regeretur incurrisset & sic damnum de dissest, quæritur an eo nomine in Dn. danda sit actio? *Neg. cum Accurs. & vulgo Dd. per l. 29 §. 2. ff. h. t.*

## XIV.

Proculus ait, cum coloni servi villam exussissent, colonum vel ex locato vel ex l. Aquil. teneri, sed si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum *d. l. 27. §. 11. Eod. h. t.*

## LV.

Si lolium aut avenam in segetem alienam inieceris, quo tu eam inquinares, non solum quod vi aut clam Dn. posse agere, sed etiam in factum *d. l. 27. §. 14.*

## LVI.

Si quis vestimenta sciderit vel inquinaverit Aquil. q. ruperit tenetur. *d. l. 27. §. 18.*

## LVII.

Item si mulum plus iusto quis oneraverit, ut aliquid membri fregerit, *d. l. 27. §. 23.*

## LVIII.

Si quis verò puerum castraverit & pretiosiore fecerit Vivianus scribit cessare Aquil. *d. l. 27.*

## LIX.

Qui tabulas testamenti depositas aut alicujus rei instrumentum ita delevit, ut legi nō possit, depositi actione & ad exhibendum tenetur: quia corruptam rem restituerit, aut exhibuerit. l. quoque Aquil. actio ex eadem causa competit, inquit Julianus *in l. 42. h. t.*

## LX.

Dubiæ etiam quæstionis est, An vicinus in cuius ædibus incendium oritur vicino ad emendationem damni teneatur. Distinguimus, utrum vicini an sine ejus culpa incendium ortum: primo casu quia de certa & determinata persona constat, incendium inter casus fortuitos non connumeratur, ideoque ex l. Aquil. tenetur. Posteriori casu non obligari putamus ad damni reparationem,



nem, cum referatur inter casus fortuitos, *l. 1. §. & ille de O. & A. l. 52. §. damna ff. pro socio.*

*LXI.*

Sed quæritur cuinam hujus rei probatio incumbat auctori vel reo? Nos auctorem ad demonstrationem certæ personæ compellendum esse arbitramur, maximè si reus consuevit esse vigil, nec alia judicia negligentia contra eum appareant.

*LXII.*

Si plures damnum dederint, utrumnè singuli in solidum teneantur, etiam quo ad ipsius damni æstimationem, & ita quidem, ut quod unus præstitit alterum non relevet? Et æquitati magis consonum est, quatenus non pœnalis sed rei præsecutoria est hæc actio, à singulis quidem solidum peti posse, sed ab uno quod est præstitum alios relevare *l. 1. in fin. l. 3. in fin. ff. de exercit. act.*

*LXIII.*

Unus tamen si solidum præstiterit cæteri liberantur argumento *d. l. in f. junct. l. 3. ff. de his qui effud. vel dejec.*

*LXIV.*

An hæc actio *l. Aquil.* sit pœnalis, rei persecutoria, vel mixta? Resp. pro diversitate casuum ex quibus competat hanc rem definiendam.

*LXV.*

Cum infamia vero conjunctam non esse verè dicitur argumento *l. 27. §. 30. & ibi glos. hic junct. l. 2. rerum amat.*

*LXVI.*

Cum hac etiam actione interdum aliæ concurrunt, ut injuriarum, commodati, furti, arborum furtim cæsarum, *L. Cornel. de Sicar: & liberum mihi est utra actione*

contra occisorem prius experiri velim *l. 34. in pr. de O. & A. l. 7. §. 1. ff. commod. Cujac. 3. obs. 25. l. 2. §. 1. d. priv. del. l. 130. d. R. 9. l. 1. l. 5. §. 1. arbor. furt. cas. §. 11. & l. 23. §. 9. ff. h. t.*

## LXVII.

Notandum quod in hac actione quæ adversus confidentem datur, iudex non rei iudicandæ sed æstimandæ datur: nam nullæ partes sunt iudicandi in confidentes. *l. 25. §. f. h. t.*

## LXVIII.

Sed hæc perplexa est quæstio ad id quod inter est, quânti quanti est, per hanc actionem petatur, an vero duplum rei peremptæ excedere non debeat. Putamus ad totum interesse condemnandum *per l. 15. in pr. ff. de act. empti l. 23. h. t. l. 6. ff. de vi & vi armata.*

## LXIX.

Contra eum in duplum datur, qui in jure delictum inficiatus fuerit, *§. 19. 23. de Act. l. 2. §. 1. l. 23. §. 10. ff. ad l. Aquil.*

## LXX.

Huic tamen pœnæ locus non est si adversarius qualitatem sive circumstantiam delicti inficiatus fuerit, *Sichar. post Bl. ad l. 4. C. h. t. n. 10.*

## LXXI.

Sed utrum duplum istud ab actore nominatim sit petendum, an eo etiam non petito iudex ex officio condemnationem extendere ad illud debeat non parum dubitatur? Et nominatim illud petendum verius est & in praxi receptius *argumento d. §. 21. & 23. Instit. de act. & l. 23. §. 10. h. t.*

Flori-

LXXII.

Moribus nostris in hac actione novum est, quod etiam ad cædem hominis liberi producit, & quod in utroque l. Aquil. capite damnum pro arbitrio partis læsæ, iudice tamen moderante, æstimatur *Sich. ad rubric. C. ad l. Aq.*

Corollaria I.

**N** *Um Astrologus vel Chiromanticus vel Physiognomus si quempiam furem esse vel adulterum aliove crimine maculatum, qui non erat, dixerit, injuriam actione conveniri possit? N.*

I I.

*An poena strangulationis, qua hodie fures afficiuntur, jure defendi possit. Aff. Gal: 3. vnt: vs.*

I I I.

*An ultimo supplicio damnatus, jure liberetur per puellam ipsum in matrimonium petentem N.*

I V.

*Cadavera suspensorum rectè Medicis ad anatomen concedi posse statuimus Gomez. 4. var. resol. c. 14. n. 9. post Philipp. Dec.*

V.

*Si quis in via publica spoliatur, an Dominus loci, qui ibi Regalia habet, & ad quem via protectio pertinet, teneatur illi damnum resarcire? id affirmare communiter Dd. non dubitant, maxime si vel pedagium vel vectigal ea gratia sit de pensum, à quibus tamen firmis suffulti rationibus, non immeritò divertimus.*

V I.

*Cognitionem in publica via interfecti ad Dominum via non ad Nobilem, ibi Feudum cum mero & mixto imperio possidentem, pertinere, communis quidem est opinio, sed contrarium defendemus.*

Parergon.

**A** *N filii ante acceptam à Patre nobilitatem, nati nobiles fiant & ita privilegiis Nobilitatis fruantur. Aff.*

Accla-



Acclamatio Heroica

*Ad*

GENEROSA NOBILITATE ET  
INSIGNI ERUDITIONE PRÆSTANTISSI-  
mos Juvenes Dn. DANIELEM & Dn. LAUREN-  
TIUM WENSINIOS, Fratres, Equites Hol-  
fatos, Amicos & fautores suos.



*R*gò Justitiæ sic perculsi estis amore  
Fratres Wensini; ut magnum & memorabile  
quicquam

*Sit prestare animus; Dū vos sanctissima Jura,  
Discentes longum, Tubiaq; morantur Athena,  
Et tandem Themidis spectant certamen inire.  
Pol benè sic factum! Egregiis insistitis ausis;  
Nec solis titulis generisve haretis honore,  
Sed, raro exemplo, Natalibus additis Artes.  
Maçti istis animis! Sic gloria vera paratur:  
Sic decet insignem factis extendere Famam:  
Nobilitatis avos longa, genus atque celèbre  
Sic decet ornari doctrina luce coruscâ.  
Pergite sic vestrum spargetur Nomen in orbe;  
Wensiniosque canent Musa, & super aethera tollent,  
Dum Musis constabit honos, dum fama Minerva.*

Samuel Bansovius Rostochiensis  
U. J. D. & Supremi Tribuna-  
lis Württembergici p. t. Ad-  
fessor deproperabat.

DN.



*DNN. RESPONDENTIB.*

*cognatis suis.*

**V**Os summâ Themidos sacra palatia  
Lustravisse operâ publica publicè  
Demonstrant placita hæc, quæ duce Plebstio  
Jam defenditis optimè.

Idcirco hoc meritò carmine gratulor  
Vobis ex animo, Wensiaes mei,  
Vos lætis super ac æthera jubilis  
Tollo primitiis meis.

En juris celebres carpere pergite  
Fructus, ut patriæ sic decus & patris  
Sitis, Juridicis vatibus inserat  
Et tandem sacra vos Themis

Cognati: monumentum ære perennius  
Sic vobis struitis, non Aquilo impotens,  
Et non imber edax frangere quod queat,  
Sed laude usque recens erit.

*Daniel Rantzovv*  
*Eques Holsatus.*

PAIN REFORMATIONE

V  
Cognovit, Thomas, for the first  
Venerabile, per quod dicitur  
Imprimis, in nomine Domini Amen  
Ite, in nomine Domini Amen  
Vobiscum, in nomine Domini Amen  
Vos, in nomine Domini Amen  
Fideliter, in nomine Domini Amen  
Fiduciam, in nomine Domini Amen  
Fiduciam, in nomine Domini Amen  
Fiduciam, in nomine Domini Amen  
Fiduciam, in nomine Domini Amen  
Fiduciam, in nomine Domini Amen

Daniel Kestner  
1898



venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant  
ad alium feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.  
Haec nūm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. 12.  
th. 14.  
v. f. m. s. n. a. n. y. an i. y. Junis g. r. a. n. e. o. c. e. s. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p. 3.  
3. coroll. 4.

---

01 A 6525

ULB Halle


3

002 935 813




12

1007







Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

atio 12 . .  
QUILIA  
A M  
IDE  
IACOBO  
BST  
ntecessore,  
publicè  
AURENTIUS  
TR. HOLSATI.  
8. Maij,  
Tubingensi.  
ID. CXIV.  
NGÆ,  
nes Alexander  
ius.